



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XCVI. Argumentum. Referuntur novem genera personarum, quæ obligate sunt ad restitutionem, ob damnum alteri datum, vel rem injustè acceptam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

habe patientiam, quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines vero receptibiles in camino humilia-
tionis. 3. Consideratione premii aterni. Luc. 21. 19. In patientia vestra possidetis animas vestras. Unde il-
lud Sanctæ Theresiæ. E tanto il bene, quale aspetto:
Che ogni pena mi è diletto.

5 Oppugnari autem Patientiam concluderunt
duobus contrariis, mollitie corporis, & superbia men-
tis. De prima Prov. 29. 21. Qui delicate à pueri-
tia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.
De Secunda Prov. 13. 10. Inter superbos semper
jurgia sunt. Hæc omnia, & alia plura collecta
reperi in responsis Cleri nostri ex S. Thom. 2. 2.
quæst. 136. ex Fornar. d. cap. 22. ex Polyanth.
Verb. Patientia, ex Philothæa S. Franc. de Sales
part. 3. cap. 3. ex P. Arias de Imitat. Christi tract. 3.
cap. 27. & seqq. ex Rodriq. Exercit. Perfect. part. 1.
tract. 8. per totum, & ex Eminentiss. Cardin. de
Lauræa dict. disput. 26. art. 9. §. 4.

6 Refert P. Menochius in Storeis Centur. 5. cap. 84.
ex Hæbræorum traditione, quod Moyses fre-
quenter legere fecerit iisdem vitam, & patien-
tiam Jobi, ad illos confortandos, ut per defer-
tum incommoda patienter ferrent illius longæ
peregrinationis annorum quadraginta. At po-
pulo Christiano nullum efficacius exemplum
patientiæ exhiberi potest, quàm vita Redempto-
ris Nostri JESU CHRISTI, in quàm omnes San-
cti Martyres, Confessores, ac Virgines semper
inspexerunt, ut fortes essent, ac constantes in
cruciatibus, & tribulationibus hujus mundi.
8 Præcipue S. Ludovicus Rex Francorum, cum in
bello inito ad recuperandam Terram Sanctam
contra Saracenos ab iisdem captus fuisset, in
eiusdem Redemptoris exemplum intuebatur, ut
infortunium illud fortiter sustineret, ideoque sic
fertur allocutus. Si omnia mihi venerunt adversa,
grates tibi refero Altissime! Reversus autem ad meipsum,
& ad cor meum ingressus, & egressus, plus gaudeo de pa-
tientia, quam mihi Dominus per sui gratiam concessit,
quam si totus mihi mundus subderetur. Subdit dein-

9 de idem Menochius ibidem de Justo Lipsio, bo-
narum literarum Autore decursi seculi beneme-
rito, quod cum esset graviter infirmus, quidam
ejus amicus, ad eum confortandum in dolori-
bus, suggereret ei patientiam Stoicorum profi-
tentium insensibilitatem in afflictionibus, de qua
ipse Lipsius scripserat librum, cui titulus, Manu-
ductio ad Stoicam Philosophiam. Sed Lipsius tan-
quàm bonus Christianus ostendit amico Imagi-
nem Crucifixi, dicens: Hic est vera patientia. Et
ad eam conversus oravit Dominum, subdens:
Domine JESU da mihi patientiam Christianam. Si-
quidem exemplum Salvatoris porrigit potentis-
simum robur ad sufferenda mala; nam si Do-
minus, & Caput nostrum tanta & talia passus
est in corpore suo, cur nos ejus mystica mem-
bra pati recusabimus?

10 P. Ludovicus Granata in Concione secunda super 2.
fer. Pasche narrat, Joannem II. Regem Lusitanum,
cum vidisset aulicum sibi charum, & infirmum
recusantem sumere medicinam sibi necessariam,
quia sibi erat amara, bibisse portionem unam
eiusdem medicinæ: quo viso per infirmum Re-
gis exemplo, ipse reliquum medicinæ hilariter
sumpsit.

11 De Paulo Augustino Spinula Nobili Januensi
refert Menochius ubi supra, sibi fecisse ex-
trahere dentem bonum, ut confortaretur
ejus amicus dolens ob dentem marcidum, ad

ejus extractionem sufferendam. Et hæc satis
de Virtute Patientiæ, de qua Philosophi, ac Mo-
ralistæ alia plurima.

DECISIO XCVI.

ARGUMENTUM.

Referuntur novem genera personarum, quæ
obligatæ sunt ad restitutionem, ob damnum
alteri datum, vel rem injustè acceptam.

SUMMARIUM.

1. Cooperatores damni quor sint? & an teneantur
ad restitutionem? & num. 11.
2. Mandans fieri damnum quando excusetur à re-
stitutione?
3. Ratum habens damnum non tenetur restituere.
4. Excommunicatus est ratum habens percussorem
Clerici.
5. Consilium dans ad damnificandum restituere tene-
tur.
6. Retractatio Consilii an liberet à restitutione?
7. Consulens minus malum facturo majus, an resti-
tuit?
8. Suffragium dans in electione injusta an obligetur
ad restitutionem?
9. Verum non sincerum, ubi electio est injusta, non ex-
cusat à restitutione.
10. Adulatores quando sint obnoxii restitutioni?
11. Cooperantes, & adjuvantes eos, qui damnum dant,
teneantur restituere.
12. Participantes de re injustè ablata, quantum re-
stituunt?
13. Milites damnificantes populos quando restituere
debeant?
14. Damnum non revelantes, aut impediens quo-
modo restituunt?
15. Famuli videntes alios furantes, & tacentes an
teneantur restituere.

Quæritur: An dentur Cooperatores obligati ad Re-
stitutionem? Quor, & Quales?

Concordi calamo scripserunt omnes dari duo
genera cooperantium, qui tenentur ad restitu-
tionem: Unum eorum, qui directè, & positivè
concurrunt ad damnum inferendum. Alter-
um eorum, qui tantum indirectè, seu negativè;
& reducantur ad novem gradus contentos in
sequentibus carminibus, de quibus summarie
dictum est supra in Decis. LXXXVII. quorum
primi sex spectant ad primum genus, tres po-
stremi ad secundum: videlicet.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, Non obstant, Non manifestans.

Verbum Jussio denotat mandantem, cui pri-
ma, & potissima causa incumbit restituendi;
ipse enim est principalis in illatione damni,
executor autem videtur tantum esse instrumen-
tum ipsius mandantis. At si mandans revoca-
verit mandatum, antequam damnum inferre-
tur, quamvis postea mandatarius maleficium
exequatur, mandans non tenetur ad restitu-
tionem, nisi cum mandato etiam consilium de-
disset, cujus vigore mandatarius persistens in
proposito damni inferendi, illud intulisset. Bo-
nacina tom. 2. de restit. in gener. disput. 1. quæst. 2.
punct. 6. num. 6. Eminentiss. Cardin. de Lugo
de Justit. & Jur. tom. 2. disput. 19. num. 23. ubi
num. 24. subdit, quod si mandatarius fluxisset, se
non

Non habuisse revocationem mandati ante malum commissum, ut mercedem promissam reciperet, in hoc casu mandans esset liber à restitutione, quia damnum totum provenit à malitia mandatarii; & idem asseverandum, si mandatarius noluisse credere, revocationem mandati verè, seriove esse factam, quando tamen efficaciter fuit ei notificata, vel si oblitus revocationis processisset ad executionem prioris mandati, quamvis in his duobus casibus idem Cardin. de Lugo *dict. disput. 19. num. 26. 27. 28.* videatur obligare etiam mandantem, quia ejus mandatum præteritum est motivum partiale damni illati. Porro benè faciet mandans monere illum, cui damnum fieri mandavit, ut caveat, & impediatur damnum imminens: si tamen hæc monitio possit notificari absque infamia, vel damno longè majori ipsius mandantis. Tandem, qui ratum habet damnum alicui illatum absque suo ordine, non tenetur ad restitutionem, & si fuisset homicidium, non incurrit irregularitatem. Tamburin. in *Decalog. lib. 6. cap. 4. §. 5. num. 7.* Coron. in *Summa Dianæ Verb. Irregularitas, num. 45. & Verb. Restituere, num. 13.*

4. Vasquez *quæst. 19. num. 32. 33. 34.* ubi notat, secus dicendum esse de excommunicatione, quæ incurritur ab habente ratam percussione Clerici per text. in *cap. Cum quis, 23. de Sentent. excom. in 6.*

5. Verbum *Consilium* significat exhortationem ad inferendum damnum injustum, nec non preces, & promissiones, quas qui facit, tenetur ad restitutionem damni illati, etiam si executor bona fide consilium exequatur, credens illud esse justum, si opus injustum sit: unde caveant consilarii Principum, Confessarii, & Advocati, quos ignorantia non excusabit à culpa, neque à restitutione damnorum aliis illatorum. Cardin. de Lugo *d. disput. 9. num. 35.* Sed quid dicendum, si consulens, re integra, retractet suum consilium, quia tamen retractatione non obstante damnum fuit illatum? Et distinguunt DD. vel consilium fuit requisitum ad veritatem sciendam, ut à Doctore, an talis contractus sit licitus? vel à Medico, an talis medicina sit bona? Et in hoc casu qui dedit malum consilium, erit liber à restitutione, si revocet suum consilium, & dicat veritatem ante damni illationem. Vel petitur consilium ad sciendam utilitatem, vel commoditatem in malo faciendo, vel damno inferendo, & in hoc casu retractatio consilii non liberat consulentem ab obligatione restituendi; quia ejus motiva jam data sunt tanquam arma, quibus utitur malefactor ad damnum inferendum. Molina de *Justit. & Jur. tom. 2. disput. 731.* Vasquez *d. cap. 9. §. 1. num. 10. & 11.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput. 19. num. 37.* qui *num. 39. & 40.* docet, fieri irregularem illum qui consulit abortum, vel duellum, si effectus sequatur, non obstante præcedenti retractatione consilii. Quamvis non desint DD. qui liberant consulentem ab irregularitate, & à restitutione, quando retractavit consilium, ut videre est apud Dianam *part. 2. tract. 16. resol. 15.* quæ residet in *Coordinato tom. 8. tract. 5. resol. 85.* Quicquid sit de magis probabili ex his opinionibus, discant Parochi, ac Prædicatores docere populum, quàm grave malum sit, dare consilia mala? Cæterum, an teneatur ad restitutionem, qui consulit minus malum volenti facere majus?

Affirmant plurimi, quos allegat Sanchez de *Matrim. lib. 7. disput. 11. num. 14.* quia etiam minus malum est malum, quod nunquam consulere licet. At alii DD. *ibid. num. 16.* negant, quando ille, cui consulitur, habebat firmum animum faciendi gravius malum, vel utrumque, nec aliter potest illum avertere à graviori malo. Quod concedit Cardin. de Lugo *d. disput. 19. num. 44.* quando illa duo mala erant inferenda eidem personæ, cui propterea potius utile est consilium de minori malo inferendo; secus autem si malum erat inferendum uni personæ, & tu proposuisti aliam personam, cui minus malum fieret: tunc enim teneris ad restitutionem illius minoris mali. Quod si aliquis cogitet unum, vel alterum malum æquale inferre uni, vel diversis personis, & tu consulas potius unum malum, quàm alterum fieri, vel potius huic personæ, quàm alteri, Sanchez *dict. disput. 11. num. 26.* te obligat ad restitutionem, sed Cardin. de Lugo *dict. disput. 19. à num. 51. & seqq.* te liberat; ea ratione, quia non inflixis ad malum faciendum, cum jam malefactor sit dispositus, sed eundem avertis ab uno, ut faveas alicui ex damnificandis, vel ut impediatur ex duobus malis æqualibus illud, quod tibi magis displicet.

Verbum *Consensus* comprehendit illos, qui actioni injustæ consentiunt, & hi præcipue sunt, quibus jus suffragii ferendi competit in electionibus; nam si injustæ electioni faveant, eligentes indignum, tenentur ad restitutionem damni, quod paritur persona digna exclusa ab electione. Eminentiss. Cardin. Paleott. de *Sacro Consistor. part. 2. quæst. 6. & 7. ac part. 5. quæst. 8. & 13.* Garzias de *Benefic. part. 3. cap. 2. num. 525.* & alii apud Dianam *part. 1. tract. 3. resol. 18.* Quæ legitur in *Coordinato tom. 7. tract. 6. resol. 28.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. disput. 19. num. 60. & seqq.* qui *num. 64.* notat, teneri ad restitutionem damnorum, & peccare non solum, qui dant suffragium actioni injustæ, sed etiam, qui suum suffragium non dant contra ipsam rem injustam, vel abstinendo ab ingressu Capituli, seu Senatus, vel dando votum, ut ajunt, non ficerum; siquidem in his, quæ spectant Justitiam, vel regimen populorum, tenetur qui jus suffragii ferendi habet, illud dare & ad favorem Justitiæ, & contra injustitiam; nisi forte certus sit, nihil posse proficere, vel ei immineant magnæ molestiæ, vel inquietudines cum aliis; tunc enim, ut probat Diana *ubi supra*, potest à suffragio ferendo abstinere. Garzias *ubi supra num. 537.* & Joan. Valer. in *different. Ultriusque fori Verb. Suffragium. diff. 2. in fin.*

Verbum *Palpo* comprehendit illos, qui adulationibus, & laudibus movent aliquem ad inferendum damnum alicui, sicuti etiam illos, qui ita alicui exprobrant, irident, murmurant, ut iis irrisionibus, & opprobriis moveatur ad malum inferendum. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput. 19. num. 70.*

Verbum *Recurfus* denotat omnes, qui influunt ad injustitiam ferendam, & præstant opem suam malè agenti, ut qui fures recipiunt, occultant, vel securitatem præbent, Advocatos, qui eos in judicio defendunt; vel qui res furto ablatas retinent in custodiam, nisi forte ex vi, & metu alicujus violentiæ id agant, & demùm illos, qui in suis domibus recipiunt filiosfamilias ad ludendum, comedendum, & bibendum; tenentur

etur enim hi omnes ad restitutionem damno-
rum. Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disput. 19.
§. 4.

12 Verbum *Participans* includit eos, qui habent
partem rei injustè ablata, qui tenentur ad resti-
tutionem solius partis habitæ, quando non fue-
runt causa principalis illius damni; nam si
consulendo, invitando, excitando alios com-
participes ad damnum, fuerunt principalis cau-
sa, tenentur in solidum ad restitutionem to-
tius damni. Vasquez. de Restit. cap. 9. §. 1. Na-
varr. cap. 17. à num. 17. Sylvest. Verb. Restitutio 2.
quæst. 6. Angel. Verb. Furtum. §. 16. Diana part.
3. tract. 5. resol. 87. Quæ in opere Coordinato est
d. tom. 7. tract. 7. resol. 35. Rebellius de Oblig. Just.
part. 1. lib. 2. quæst. 14. sect. 2. num. 5. Molina de
Justit. & Jur. disput. 734. Et Eminentiss. Cardin.
de Lugo d. disput. 19. à num. 88. & seqq. ubi
disputant, an milites, qui in bello damna infe-
runt, teneantur in solidum ad restitutionem da-
mnorum, vel ad eam tantum portionem, quam
habuerunt; circa quod varii varia dicunt, sed
de rigore justitiæ videntur obligati in solidum,
ut docent DD. citati.

Verba *Mutis*, *Non obstant*, *Non manifestans* signi-
ficant eos, qui scientiam habentes damni infe-
rendi ab aliquo, non clamant, non admonent,
non defendunt, non impediunt damnum, ac
post illius illationem non revelant malefacto-
rem: in his enim omnibus casibus tenentur ad
restitutionem, dummodò tamen erant obligati
ex justitia, seu ex officio clamare, admonere,
impedire, revelare, ut Tutores, Curatores, Gu-
bernatores, Ministri publici, Custodes, Medici,
Chirurgi, Procuratores; secus si tantum ex cha-
ritate. S. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 7. Molina
disput. 375. Vasquez de Restit. d. cap. 9. §. 3. dub.
1. Bonacina de Restit. in gen. tom. 2. disput. 1.
quæst. 2. punct. 11. Cotonius in Summ. Dian. Verb.
Restituere num. 17. Eminentiss. Cardin. de Lugo
d. disput. 19. sect. 3. ubi num. 105. notat famulos
videntes alios conservos in domo facere furta
domestica, tacendo non teneri ad restitutionem,
nisi ipsi habeant custodiam illarum rerum, vel
nisi illis à domino detur clavis armarii, vel scri-
ni, quia pro tunc illis custodia ejus loci de-
mandatur.

DECISIO XCVII.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quando sit obnoxius restitutioni,
qui consulit circa furtum faciendum, vel dat
suffragium pro lite injusta gerenda.

SUMMARIUM.

1. Consiliarius quando sit obligatus ad restitutionem?
2. Furem qui facit magis securum in furando, tene-
tur restituere.
3. Propositio damnata, quod Coadjuvans in damno
non restituat.
4. Litrem injustam qui suo voto approbat, quando res-
tituat?
5. Suffragia dare vel secretè, vel publicè, differentia.

HIS ita enucleatis faciliè erit sequentes casus
resolvere. Primus casus est: Thomas nar-
rat amico, decrevisse sequenti nocte equum vicini furari.
Amicus ait, facilius esse, id mane agere, tempore Missæ,
quo omnes, etiam canes absunt. Thomas, vicino cum

familia sua Missam audiente, furatur equum. Quæritur
an amicus obligatus sit ad restitutionem?

PLures opinati sunt, Amicum non esse obli-
gatum ad restitutionem equi, eò quia ejus
consilium non videtur versari circa substanti-
am furti, ad quod Thomas patrandum erat
omnino dispositus, sed tantummodò circa cir-
cumstantiam temporis, videlicet, non ut nocte
furaretur, sed mane, tempore Missæ; consilium
autem, quod non influit in substantiam furti,
sed circumstantiam temporis, non obligat con-
sulentem ad restitutionem. Lessius de Justit. &
Jur. lib. 2. cap. 13. dub. 2. num. 4. 5. Coton. in
Summ. Diana Verb. Restituere, num. 13. Layman. lib.
3. tract. 2. cap. 5. num. 5. Tamburin. in Decal. lib.
8. tract. 4. cap. 1. §. 2. num. 6. & Eminentiss. Car-
din. de Lugo d. disput. 19. num. 9.

Porrò major, & sanior pars studentium te-
nuit, esse obligatum; siquidem consilium fu-
randi equum manè tempore Missæ, quo etiam
canes absunt, datum Thomæ furaturo tempore
noctis, fecit eundem animosiores, & securio-
rem ad furtum patrandum; nemo enim infi-
ciari potest, facilius esse furari de mane, quando
nullus est domi, neque canes; quàm de no-
cte, dum & canes latrant, & ad eorum latra-
tum homines insurgunt contra latrones. Cum
itaque consilium amici ostenderit viam facilio-
rem, & securiorem furandi equi, & ex eo con-
silio fur factus sit promptior, & alacrior in
damno inferendo, Amicus dicitur influxum de-
disse ipsi furto efficacem, & exindè obligatum
esse restitutioni, ut disputando docet idem E-
minentiss. Cardin. de Lugo d. disput. 19. num.
6. & 7. Bonacina de Rest. in gen. tom. 2. disput. 1.
quæst. 2. punct. 7. num. 4. Sotus lib. 4. de Justit. &
Jur. quæst. 7. art. 3. Azor. part. 3. lib. 4. cap. 11.
Elig. Bassæus tom. 1. Verb. Restitutio 3. §. 2. num. 3.
& tom. 2. Verb. Restitutio num. 19. atque F. Cassian.
& S. Elia in Centum Histor. Decis. 39. num. 6. & seqq.
ubi DD. & rationes cumulat, & num. 18. adver-
tit, contrarium asserentes incidere in illam pro-
positionem damnatam à S. D. N. Papa INNO-
CENTIO XI. quæ dicebat: Qui alium movet, aut
inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tene-
tur ad restitutionem illius damni illati. Est Propos.
39. Quare tenendum est, amicum nostri casus
teneri ad restitutionem.

Alter casus est: Ponitur Pars in Capitulo litrem in-
justam faciendi. Unus ex Capitulo videns majorem par-
tem velle litrem agere, nec voto suo impedire posse, ne
Pars illa capiatur, dat & ipse votum pro lite faciendâ.
Quæritur, an sit obnoxius restituere damna, & expensas
patienti hanc litrem?

Omnes transierunt sub hac distinctione. 4
Vel fuit de primis, qui suffragium tulerunt ad
favorem illius Partis injustæ, & ultra peccatum
mortale tenetur ad restitutionem, quia verè in-
fluit in damnum. Vel fuit de ultimis ponen-
tibus suffragium, & cum jam Pars capta esset, &
damnum ab aliis illatum, non tenetur ad resti-
tutionem, sed peccat mortaliter; quia quilibet
tenetur resistere injustitiæ, & iniquitatem im-
pugnare. cap. Quisquis, & cap. Nolite timere, 11.
quæst. 3. Samuel. de Canonic. Elect. tract. 3. con-
tr. 3. concl. 2. Cardin. Tolet. lib. 5. cap. 21.
num. 2. Bonacina tom. 2. de Restit. in gen. Disput.
1. quæst. 2. punct. 8. num. 6. & 7. Layman. lib. 3.
tract. 2. cap. 5. num. 6. Grass. part. 1. Decis. lib. 2.
cap.